Seitenstetten, Benediktinerstift, Cod. 10 [heute: New York, The Library of the New York Academy of Medicine, Nr. 10]

[Rudolf Kapeller-Maximilian Pampichler]: Codicum Manuscriptorum Bibliothecae Seitenstettensis Tom. I (Cod. 1-200) (handschriftlich) [um 1800], 11.



Aviceñæ lib II. et III. Canonis medicinæ.

Codex X. deest

Membran. Fol. maj. Sæc. 14.

1. 1.10

Constat 59 foliis, subinde laceris, mucidis, Sæc. 14to, sed non ab una manu scriptis; in margine multæ adnotationes. Continet Librum 2dum et 3tium Canonis Aviceñæ /: utrumque autem mutilatum :/ juxta versionem latinam Gerardi Cremonensis. Initium libri secundi est: "Liber Canonis Secundus. Verba principis Abuali. Horum "librorum, quos de medicina specificavimus, primus "est de judiciis universalibus in medicina." Post hanc præfationem sequitur: "Tractatus primus de "complexionibus medicinarum singularium", capitibus sex. Tractatus secundus continet præfatiunculam Abvali, 12 areolas, et juxta numeros marginales 726 species ad rem medicam pertinentes; ubi autem notandum, in hoc tractatu folia alia deesse, alia turbato ordine esse compacta.

Folio 40mo incipit Liber Canonis tertius his verbis. "Dictio prima de universis ægritudinibus capitis ter"tii libri Canonis in medicina. Capitulum de utili"tate capitis et partibus ejus. Inquit Galienus. In"tentio in creando caput non est cerebrum." Et hic Liber progreditur ad tractatus tertii capitulum 16., "de signis maniæ universalibus, et specierum ipsius "signis", ubi in hæc verba finitur: "postea cum "iteratur super eum, non est." Cæterum contuli codicem nostrum cum canone avicennæ Venetiis per Luc. Ant. Juntam 1527. impresso, illique, exceptis mutilatis, adeo conformem inveni, ut de uno eodem translatore, Gerardo Cremonensi dubium nullum supersit.

De Aviceña vid. Fabr. Biblioth. græc. vol. 13. l. 6. c. 9. pag. 268. item. Lindenius renovatus. pag. 99. et editionem cit. Aviceñæ in prologo.

Gerardum Cremonensem, medicorum sui temporis facile principem, post multas inter eruditos de patria illius disceptationes Cl. Muratorius Italiæ restituere non inani labore enisus est Antiq. Ital. T. 3. p. 937. allatoque P. Francisci Pippini in Chronico, vulgato Ser. Ital. Tom. 9. pag. 600 testimonio rem confecit. Pippinus enim iste, qui ao circiter 1315 florebat, ita ejus patriam evulgavit, ut omnem ademerit ambiguitatem, scribens: "Gerardus Lombardus natione "Cremonensis año 1187. vita defungitur, septuaginta "tres años natus habens ect. Inter opera, quæ trans"tulit, habentur in arte tam physicæ, quam alia"rum facultatum libri septuaginta sex, inter quos "Aviceñæ, et Almagesti Ptolemæi translatio solemnis

Seitenstetten, Benediktinerstift, Cod. 10 [heute: New York, The Library of the New York Academy of Medicine, Nr. 10]

[Rudolf Kapeller-Maximilian Pampichler]: Codicum Manuscriptorum Bibliothecae Seitenstettensis Tom. I (Cod. 1-200) (handschriftlich) [um 1800], 12.



"habetur. Sepultus est Cremonæ in monasterio S. Zu-
"ciæ, ubi suorum librorum Bibliothecam reliquit."
Vide etiam Arisii crem. litter. T. I. p. 269. T. 3. p. 81.

Codex XI.

1. 11.

S. Thom. Aquin. p. I Sum. Theol.

Membran. Fol. Sæc. 13. v. 14.

Folia numerat 202. hinc inde lacera et muci-
da, litt. initial. varieg. Continet I Partem
Sumæ Theolog. S. Thomæ Aquinatis. Primo legitur:
"Quæstio de necessitate doctrinæ"; deinde: "Incipit
"Suma de Theologia edita a fratre T. de aquino
"ord. pdic. liber pmg t qcpa". Prologus incipit: "Quia
"catholicæ veritatis doctor". Ad calcem codicis, cui
non nullæ adnotationes adjectæ, legitur: "Explicit Liber
"primus Sumæ fratris Thomae de aquino ordinis præ-
"dicatorum magistri in Theologia". Dein sequitur ta-
bula 119 quæstionum. In fine operis, ante et post
tabulam nomen Fratris rubro scriptum, manus poste-
rior delevit, et nigro atramento nomen Sancti adpo-
suit. An non liceat conjicere, codicem nostrum ante
annum Canonisationis 1323. esse exaratum?

De S. Thoma Aquinate vid. Quetif, Script. ord.
Præd. T. I. p. 271.

Seitenstetten, Benediktinerstift, Cod. 10 [heute: New York, The Library of the New York Academy of

Österreichische Akademie der Wissenschaften, Institut für Mittelalterforschung, Abteilung Schrift- und Buchwesen: manuscripta.at - Mittelalterliche Handschriften in österreichischen Bibliotheken
Permalink: manuscripta.at/?ID=27387